DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS KER,

BRITANNUS,

Soc. Reg. Med. Soc. et Soc. Phyſ. S. H.

Triſtius haud ullum monſtrum, nec ſaevior ulla,
Peſtis et ira Deum Stygiis ſeſe extulit undis. VIRG.

Ad diem 25. Junii, hora locoque ſolitis.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY.
Washington, D.C.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro illuſtriſſimo et nobiliſſimo

JOANNI,

DUCI DE ROXBURGH,

MARCHIONI DE BEAUMONT,

COMITI DE WAKEFIELD,

&c. &c. &c.

Hanc diſſertationem medicam inauguralem,

Ut parvulum ſummae obſervantiae monumentum,

Et animi beneficiorum haudquaquam immemoris

Teſtimonium,

D. D. Cq.

CAROLUS KER.

Viro illustrissimo et nobilissimo

C A R O L U S K E R,

D. D. Cc.

Tejnmouiæ,

Ut parvulum famulæ obsequiique monumentum,

Hanc dilectationem medicam inauguralem,

D. Ducis de Roxburgh,

Marchionis de Beaumont,

Comitis de Wakefield,

&c. &c. &c.

Digitized by Google

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

CUM organum respirationis afficitur, et febris subest continua, vel tantum remittens, inflammatio alicujus thoracis partis existere creditur. Quaenam thoracis pars laboret, pro certo statuere conati sunt pathologi, certis signis confisi, quae eam designare existimarent. Experientia vero recentior, et observationes inter cadavera incidenda accuratissime factae, demonstrarunt, nihil fiduciae in iis posse collocari. Cullenus celeberrimus, cui, ob conspectum morborum nosologicum accuratissimum et fere absolutum, genus humanum tantum debet, omnes hujuscemodi distinctiones repudiavit, et inflamma-

 tionem

tionem cujuſlibet thoracis partis pro uno genere, quod modo ſequente finivit, habuit. 'Pyrexia; 'dolor in quadam thoracis parte, reſpiratio dif- 'ficilis; tuſſis.' Haec definitio omnia morbi phaenomena praecipua enunciat, ſed uti hiſtoriam morbi pleniorem tradamus neceſſarium eſſe videtur.

In omni exemplo, morbus a rigore et horrore incipit, quos excipiunt calor et alia pyrexiae ſigna. Haec ſigna tamen aliquando praecedit alicujus thoracis partis dolor *; ſed plerumque dolor una cum calore ictibuſque arteriarum acceleratis invadit. Hic nonnunquam admodum acutus eſt, et parte thoracis ſingulari circumſcribitur, potiſſimum media, ſexta, ſeptimave coſta; aliquando latius diffunditur, minus pungens, unum vel utrumque latus afficiens, vel humerum, dorſum deorſumve coſtas ſpurias verſus patens, cum, ut aliqua ex abdominis viſceribus affecta eſſe ſuſpiceris, facere poteſt †. Interdum ſedem mutat, morbo progrediente, prius unum, deinde alterum latus occupans, locum prius affectum minus

* Dr Gregory's Elements of the Practice. Morgagni, epiſt. 21. art. 30. Cleghorn, chap. 6. p. 262.

† Pringle, part 3. ch. 2. § 4.

minus crucians vel dolore ex toto liberans. Alias minime graviter urget, at aegrotus ſenſum oppreſſionis vel ſtricturae thoracis potius, quam dolorem acutum, habet, dum reliqua ſigna non parum moleſtiae ei faceſſunt.

Una cum dolore invadit ſpiritus difficilis, qui, prout morbus gravior fit, ingraveſcit. Hoc ſignum et dolor, in latus affectum cubando, plerumque intenduntur; contrarium vero aliquando incidit. Reſpiratio quidem, pleriſque in exemplis, facillima eſt, cum aeger dorſo incumbit, vel, corpore erecto, ſedet, praeſertim ſi morbus pergit, et jam violentus evaſit *. Aliquando brevis et celeris eſt, quaſi aeger timeret, ne plenior evadens dolorem crearet.

Haec ſigna tuſſis ſemper comitatur, modo ſub initium morbi ſicca, ſaepius humida, hanc formam ſaltem per decurſum ejus ſibi ſemper aſſumens. Ob haſce ſputi conditiones, pneumonia in ſiccam humidamque fuit diviſa. Quod expuitur id plerumque aliquanto ſanguinis tingitur, et ſpiſſitudine et colore variat. Quam ſpeciem, ſub initia, prae ſeſe fert, ea eſt coloris expers, opaca, albida, et ad extremum ſaepe flavida et interdum

* Vide Doctoris Neuvilli Diſſert. Inaugur. 1778; ubi phaenomena pneumoniae, ſub forma tabularum, multo cum labore et patientia illuſtravit.

dum ſubviridis. Modo craſſius, modo tenuius eſt. Non raro a primordiis uſque flavum eſt, uti in regionibus calidis plerumque obſervavi. Aliquando ſubito ſupprimitur, quod ſemper ad extrema jam ventum eſſe teſtatur.

Febris magis minuſve urget. Pulſus arteriarum, morbo recente, ſunt celeres, pleni, frequentes, et plerumque duri. Admodum vero variant. Nonnunquam, circa initium, parum celeres, ſed exiles ſunt, et, ſanguine detracto, frequentiores et validiores * evadunt. Cum morbus per decurſum ſuum gravis fit, notae circuitus oppreſſi oriuntur, et ictus arteriarum exiles, frequentes, debileſque redduntur. Nonnulli ferunt, tardiores, quam ſanitate ſubſtante, repertos fuiſſe, dum aegrotus in ſummo periculo verſabatur, et reliqua ſigna febris concitatiſſimae ſemet oſtendebant †. Nonnullis placet, ictus arteriarum duros molleſve partem thoracis, quae laboret, non obſcure deſignare; ſed quam fallax haec conjectura ſit, inciſiones Morgagnianae accuratae demonſtrant.

Facies rubeſcit, oculi ſuffunduntur, caput dolet, et cum morbus gravis eſt, et reſolutione non

* Dr Huxham.

† Vide Cleghorn's Diſ. of Min. chap. 6.

non cito finitur, delirium accedit, et ad extremum saepe stupor. Febris plerumque inflammationis plurimum habet, et mera affectus topici sequela est; sed aliquando, quanquam symptomatica est, ad typhum proclivitatem ostendit, quae a constitutione aegrotantis corporea, regione, et natura febris epidemice grassantis, magnopere pendere potest. Haec omnia simul, vel separatim, agentia, naturam pyrexiae mutare possunt. Inflammatio loco propria pyrexiae cujuslibet generis formaeve supervenire potest, et revera saepe supervenit. Aliquando quidem febrim epidemice grassantem adeo constanter comitata fuit, ut partem ejus naturae constituere, et a contagione specifica proficisci fuerit existimata. Haec conjectura vero nullo certo fundamento inniti videtur; namque, nullo in exemplo, semet contagione unquam diffudit. Cum apparuit, febrem malignam vel epidemicam comitans, alia subfuisse videntur, quae ortui ejus favebant, quaeque nullum nexum cum causa febris specifica habebant. Hoc semel notandi occasio mihi subministrata est. Per hyemem anni 1782, febris novi Eboraci partem copiarum regiarum, quae curae meae demandata est, invasit. Quibusdam in casibus non parum malignitatis ostendit,

tendit, in aliis proclivitas ad inflammationem plane invaluit. In omnibus fere inflammatio pulmonum ſubfuit, magis minuſve manifeſte deſignata. In nonnullis horum exemplorum dubitare non potui, quin inflammatio loco propria fuerit morbus primarius, cum ab iiſdem cauſis, et iiſdem ſubſtantibus, unde pneumonia communis, fuerit profecta. Caeterum in numero eorum, et funeſtiſſimorum quidem, maximo difficilius fuit ſtatuere, uter eſſet morbus primarius, et utri potiſſimum mederi conari deberemus, cum conſilia contraria in affectu inflammationem habente, et in febre maligna, remedia contraria requirere viderentur. Hae autem duae morbi conditiones parum nexus, quantum ad naturam ſuam attinebat, inter ſeſe videbantur habere, magna ex parte fortuitae eſſe, et a rebus diverſis, quibus milites, quantum ſeminium cauſaſque excitantes ſpectabat, fuerant objecti, proficiſci. Haec quidem talia fuerunt, qualia vel unum vel alterum morbum excitarunt. Coelum per hyemem, quae aeſtates intenſe calidas excipit, inſigniter frigidum eſt. Calor autem aeſtivus conſtitutiones corporeas hominum, qui, eodem tempore, muniis militaribus laborioſis fungi coguntur, admodum irritabiles, et igitur ad morbos omnigenos proclives efficit.

efficit. Domicilia eorum calida fuerunt, et numerus non parvus, quanquam non insigniter magnus, in ea condensatus; et calor cubiculorum frigore aëris externi intenso imprudenter et repente mutatus, quod partim munia, partim imperii neglectus fecit, causa excitans affectus topici evidentissima esse visus est. Catarrhi, plerumque adeo leves, ut eos opem medicam poscere non coegerint, in omnes sine discrimine milites invaserunt, et pulmones eorum adeo irritabiles factos esse apparuit, ut ad morbos, per causam leviſſimam excitatu faciles, fuerint proni. In multis exemplis tamen inflammatio pneumonica febri superveniſſe videbatur. Nec mirum aut insolitum esse puto, seminium in pulmonibus jam existens, febre, forsitan maligna et a contagione profluente, aliquem occupante, ut potissimum afficiantur, facere posse. Res hujuscemodi, aeque ac aliae, cur hic morbus una cum febre contagiosa epidemica semet ostendat, in causa esse possunt, contagione specifica nullam vim singularem in organum ita affectum exèrcente. In omnibus hujusce morbi casibus, quos mihi notare licuit, sputum admodum flavo colore fuit tinctum. In multis cutis et oculi eundem colorem habuerunt, nullis aliis icteri notis, ut faecibus

cibus albis ſimilibuſve ſubſtantibus; ſtercus, contra, et omnia alia excreta eundum colorem, quem ſputum, ſibi aſſumpſerant. In quibuſdam, ubi ſedes morbi rite comperiri nequivit, e loco dolente hepatitidem alioſve hepatis affectus adeſſe ſum ſuſpicatus; cum vero morbus monnullos aegrotantium rapuerit, inciſio cadaverum, quantum erraverim, demonſtravit.

Hic morbus progreſſu violentus rapiduſque eſt, et, niſi ei mature occurratur, brevi aegrotum conſumit, vel in alios morbos non minus timendos deſinit. Si ad remedia idonea decurratur, a tertio ad quintum ſeptimumve diem plerumque inclinare incipit. In ſpatium majus nonnunquam producitur, et tamen fauſte finitur. Nullum forſitan tempus certum, quo ad finem perducetur, intra primas quatuordecim dies deſignari poteſt; namque ſpatium ejus majus minuſve a vi morbi et conſtitutione aegrotantis corporea manifeſte pendet. Singulis ex hiſce diebus modo comprehenſis aliquo modo finiri ab auctoribus fuit notatus. Intra vero primos ſeptem vel fauſte, vel infauſte, terminari conſuevit. Si ultra hoc tempus progreditur, remiſſiones per decurſum ejus plerumque inciderunt. In iis plagis, ubi omnes febres facile intermittunt vel re-

remittunt, ea, quae hunc morbum comitatur, idem facere poteſt; vel hic morbus febrem remittentem comitari poteſt. Cum in regionibus hujuſcemodi inflammationem pneumonicam videndi occaſio mihi oblata eſt, hoc ſaepe accidit, et, febre remittente, vitia loco propria quoque remiſerunt. Ex his ſimilibuſque rationem reddere poſſumus, cur pneumonia tam diu manſerit, quam auctores nonnulli retulerunt. Hippocrates unius exempli mentionem injicit, ubi morbus per dies viginti tres perrexit, et tandem in reſolutionem deſiit. Ægre quidem concipere poſſumus, inflammationem acutam organi, tam multis vaſis ſanguiferis, quae nunc, praeter conſuetudinem, ſenſilia et irritabilia ſunt, inſtructi, ſine ulla interpellatione per tantum temporis ſpatium pergere poſſe, et in ſuppurationem tamen vel effuſionem non deſinere.

Alia ſigna, quae hunc morbum comitari dicuntur, non ei conſtanter adjunguntur, nec inſignia ſunt. Diarrhoea nonnunquam, epiſtaxis, eriſypelas alicujus partis externae, phlogoſes artuum inferiorum, &c. accedunt. Haec vero morbum ſaepe judicant, et ſub finem tantum ſemet in conſpectum dare ſolent.

DIAGNOSIS.

Non difficile esse videtur, utrum hic morbus necne subsit, comperire, et eum a quolibet alio eadem vel vicina organa invadente secernere. Eum ab omni dyspnoea et asthmate signa pyrexiae satis dignoscunt. Catarrhus morbus est, qui gravis neglectusque pneumoniam aliquando refert. Quae inflammatio in membrana nares succingente primum incepit, ea semet deorsum extendere, et pulmonis inflammationem movere potest. In exemplis talibus, catarrhus pro causa morbi, quem exequor, haberi potest; et quo magis quidem et ille et hic unus idemque morbus esse ducuntur, in eo magis idoneam medendi viam procedetur. Quidnam vero de morbo quem *peripneumoniam notham* Sydenhamius appellaverit, existimandum est? Parum, praeterquam gradu, a pneumonia manifestiore differre videtur. Quantum ad naturam attinet, idem est; et fundamentum discriminis, ubi morbi inter sese discrepant, in seminio aegrotantium, vel

in

in ſtatu organorum affectorum, exiſtit. In eos potiſſimum invadit, qui aetate ſunt provectiores, qui habitum corporis plenum phlegmaticumque habent, qui catarrhis prioribus patuerunt, et qui liquores fermentatos et ſpirituoſos liberaliter potare conſuerunt. Semet oſtendit, dum catarrhus a contagione ortus graſſatur, et iiſdem anni tempeſtatibus, quibus affectus pulmonei ſaeviunt. Tempus, quo invadit, non aeque evidens eſt ac in pneumonia vera. Rigor calorque ei ſuccedens non adeo clare ab aegroto ipſo notantur. Signa pyrexiae, dolor, ſtrictura thoracis, et ſpiritus difficilis, in aliquantum temporis, non aeque graviter urgent. Dolor quidem aliquando vix notabilis eſt. Ejus non meminit Boerhaavius, nec in caſibus Corallii et Valliſnerii, quos Morgagnius retulerit, ſi eos ad hoc genus relegare liceat, omnino memoratur. Inter eos vero convenit, morbum ſpiritu difficili et pectoris oppreſſione ſtipari; et Sydenhamius doloris totius pectoris mentionem diſerte injicit. Quinetiam morbus prorepit, nulla periculi ſigna oſtendens, donec ſubita debilitas et reſpiratio oppreſſa accedant, quae aegrum rapiunt, cum talis eventus minime ſperatur. Curatio ejus in largis evacuationibus minime conſiſtit; nam-

que

que tantam debilitatem inferre periclitantur, quanta plerumque exitio foret. Inciſiones hoc morbo extinctorum non adeo numeroſae ſunt, ut inde diſcere poſſimus, qualis pulmonum poſt mortem conditio ſit. Signa vero affectum pulmonum topicum una cum aliquanto pyrexiae deſignant. Hanc autem nec admodum violentam, nec manifeſtam eſſe, minime mirabile eſt, cum habitum eorum et conſtitutionem, qui hoc morbo corripiuntur, conſideramus. Senes debilitatique ſunt, quorum ſyſtematis vaſculoſi ſenſilitas magnopere diminuta eſt; et in quibus igitur irritatio ab affectu loco proprio oriens cum ſyſtemate ſanguifero non facile communicatur. Cauſae morbi tamen, quae frigus et affectus catarrhales ſunt, impetum humorem pulmones verſus facere valent, quem inflammatio obſcura conſequi poteſt. Inflammationem ſimilem in pulmonibus exiſtere, et nulla ſigna gravia tamen, qualia ſunt magnus dolor, ſpiritus admodum difficilis, vel pyrexia concitatior, facere, e ſuppuratione et ulceribus ibi longum per tempus ſubſtantibus, et ne febrim quidem hecticam progenerantibus, diſcimus. Hanc ob cauſam inflammationem naturae ſingularis, conſtitutioni aegrotantis ſtatuique organi affecti accommodatam,

exiſtere

exiſtere poſſe, concludere licet. Propter hanc ſecretio adaucta humorum, qui e cellulis bronchiorum glanduliſque mucoſis vulgo exhalant, incidit, quae aliquando morbum ſolvit; quae vero ſaepe, contra, cum curſus humorum ad pulmones permagnus eſt, et oſtia exhalantium adeo debilia ſunt, ut viribus humorum propellentibus obſiſtere nequeant, cellulas pulmonum replet, circuitum ſanguinis impedit, et igitur ſuffocationem et mortem infert.

Latera doloribus a rheumatiſmo revera orientibus frequenter tentantur, qui, ſub initium, pro notis inflammationis pulmoneae habentur. Huic malo nomen pleurodyne inditur. Tuſſi ſigniſque catarrhi ſaepe ſtipatur, quae veram ejus naturam amplius etiamnum celant. Haudquaquam dubito, quin multi hujuſcemodi caſus pro pleuritide vera fuerint habiti, et, ut ea, curati; et ſalus aegrotantium facilis et expedita multis perſuaſit, artem medicam in alterum morbum formidoloſum, qui revera ſubeſſe in exemplis hujuſcemodi credatur, multo plus poſſe, quam unquam potuit aut poterit. Nullus forſitan morbus eſt, dummodo ei mature occurratur, qui facilius, quem pneumonia, medicamentis idoneis cedit; ſi vero in biduum triduumve ſine

ſanguinis

ſanguinis detractione progredi permittatur, periculoſiſſimus, contra, evadit. Quam ſaepe autem aegrotantes, potiſſimum pauperculi et milites, ad opem medicorum confugerunt, poſtquam, ut ipſi narrarunt, doloribus pleuriticis in aliquot dies, immo in totam hebdomadam diutiuſve, iiſque aliquanto febris ſtipatis, laboraverant; et omnia ſymptomata tamen una, raro duabus ſanguinis detractionibus, ex toto ſublata fuerunt, dum morbus a medicis pulmoneus eſſe fuit exiſtimatus? Tutius vero eſt morbum pro pejore habere, ſi cum alio magis periculoſo confundi periclitatur. Pleurodyne igitur eſt morbus, qui muſculos intercoſtales, vel eos, qui coſtis inſeruntur, vel inde oriuntur, infeſtat. Frequenter hiſce partibus ſolis circumſcribitur, praeſertim cum ſaepe invaſit et inveteravit. A doloribus ab interna inflammatione proficiſcentibus fere ſemper dignoſci poteſt, quod tactu vel inſpiratione augetur, dum interea nihil ſtricturae pectoriſve oppreſſionis, etiam inter expirandum, ſubeſt. Ægrotum plerumque in latus affectum facilius, quam in contrarium, cubare patitur, quoniam motus coſtarum ejus lateris, et igitur actio muſculorum, ea poſitura imminuitur. Hi dolores quoque per thoracem faſcia arcte conſtrictum

ſtrictum ſaepe levantur. Veram hujuſcemodi dolorum naturam certius noviſſe poſſumus, ſi affectus rheumaticus lateribus non circumſcribitur, ſed ſimiles aliorum corporis artuum dolores comitatur, vel cum iis alternat; praeſertim ſi deſunt pyrexia violenta, tuſſis non levis, oppreſſa et difficilis reſpiratio, quae pneumoniam ſemper comitantur. Haudquaquam tamen improbabile eſt, inflammationem rheumaticam horum muſculorum ad pleuram poſſe diffundi, cum haec eos protinus ſuccingat, et commercium evidentiſſimum inter vaſa ſanguifera hujus et illorum intercedat. Morbus igitur pleurae inflammatio prius fieri, deinde pulmones invadere poteſt.

Alia quoque dolorum genera latera infeſtare periclitantur, ab inflatione ventriculi et inteſtinorum orta. Haec vero febre ſymptomatica nunquam ſtipantur, vagantur, brevique evaneſcunt, et cum doloribus pneumoniae propriis nunquam confundi poſſunt.

Hepatitis nonnunquam talia ſigna habet, qualia pneumoniam magnopere referunt. Quaedam utrique communia ſunt, ut pyrexia, lateris dolor, et tuſſis. Dolor tamen prioris hypocondrio ſtrictius circumſcribitur, preſſura, praeſertim ſubter marginem coſtarum ſpuriarum applicata, augetur,

getur, aegrotans difficulter lateri ſiniſtro incumbit, dolor plerumque claviculam, ſummumque humerum dextrum verſus, ſemet extendit, tuſſis ſaepiſſime ſicca, aliquando humida eſt, reſpiratio non aeque opprimitur, et morbus plerumque vomitione vel ſingultu ſtipatur. Huic quoque deſunt, rubor colorque purpureus faciei et labiorum, oculi inflammati, et delirium. Nihilominus tamen, utrum hepar pulmoneſve laborent, comperiri ſummam medentibus moleſtiam non raro faceſſivit *.

Neceſſarium forſitan quoque videbitur pneumoniam a carditide ſecernere. Cor vero ſolum rarius afficitur. Inflammationem quidem pneumoniae generalem ſaepiſſime participat. Affectum ejus ſingularem propriumve deſignare exiſtimantur, dolor regionis cordis, pulſus arteriarum inaequales, palpitatio, ſyncope †.

CAU-

* Morgagni, epiſt. xx. art. 30.

† Cullen's Synopſ. Noſol. Gen. 13.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae autem duplices ſunt, 1. eae quae homines ad morbum proclives efficiunt; et 2. eae quae morbum excitant. De prioribus agatur neceſſe eſt, antequam ad poſteriores poteſt perveniri.

Inflammationes pulmoneae tempeſtate anni frigida, potiſſimum vero ſub initium ejus aut finem, cum frigus calorque ſemet frequenter et ſubito excipiunt, apparere conſuerunt. Regionibus frigidis minime continenter, et forſitan has non multo magis, quam ad auſtrum vergentes, tempeſtatibus frigidioribus, infeſtant. Morbus in inſula Baleari minore, Italia et Carolina Auſtrali, ſemet frequenter oſtendit, ut Cleghornius, Morgagnius, et Chalmerus teſtantur. Quod obſervationes eorum magis firmat, morbum in mediis Americae Borealis provinciis ſaepiſſime offendi. Plerumque in aetate provectos, eos nempe qui annum aetatis quadrageſimum quintum attigerunt, et ſexageſimum nondum tranſ-

greſſi ſunt, invadunt. Iis, quibus pubertas nondum acceſſerit, parcere ſolent.

Ad pneumoniam maxime proclives eſſe videntur ii, qui naturaliter valentes plenique ſunt, qui alimentis conditis et nutrientibus immodice, quique liquoribus ſpirituoſis vel fermentatis e byne confectis nimis liberaliter utuntur. Idem fere de iis dici poteſt, qui relaxanti caloris praecedentis poteſtati fuerunt objecti, quod ſenſilitatem ſyſtematis et irritabilitatem augere videtur. Cauſis hujuſmodi quoque accenſeri poſſunt conſtitutio corporis primaria, in qua ineſt vel irritabilitas pulmonum ſingularis, vel prava conformatio, ob quam parva ſanguinis quantitas, ſi eam cum maſſa univerſa comparaveris, in eos, dato tempore, poteſt diffundi; affectus pulmonum inflammatorii antecedentes. Mulieres ei minus opportunae eſſe dicuntur, quam viri; obeſi, quam macilenti; et cachexia vel leucophlegmatia laborantes, quam conſtitutionem huic contrariam habentes. Hoc forſitan in cauſa fuit, cur Hippocrates notaverit, ‘ qui acidum eruc- ‘ tant, non ad pleuritidem proclives,’ habitum cachecticum, uti exiſtimo, per phaenomenon ejus praecipuum, concoctionem nempe depravatam,

tam, designare volens. Scorbuto vero laborantes pneumonia frequenter corripiuntur *.

Causae excitantes sunt variae; ut injuriae externae; quales sunt vulnera corpori instrumentis acutis inflicta, vel contusiones; acria per tracheam in pulmones introducta; alii morbi, ut catarrhus †, variola, morbilli; oratio continue nimisque diu habita, vox nimis sublata, equitatio adversus ventum vehementiorem justo rapidior. Quod vero morbum saepissime excitat, id est frigus corpori nimis subito applicatum. Hoc autem, vel locum calidum frigido mutando, vel corpus calefactum fluento aëris frigidi objiciendo; et denique, corpore ita affecto, aquam frigidam potando, contrahi potest. Hoc forsitan plerumque, conditione corporis solita substante, morbum movebit, sed certius, si seminium supra comprehensum subsit. Quinetiam morbus mortales, dum frigori diu objiciuntur, corripit; sed aliquando non accedit, donec ad locum calidum redierint, ut militibus frequenter incidit, cum ad domicilia sunt reversi, postquam vigilias excubiasve, tempestate frigida, per tempus

* Huxham on Perip. chap. 2. p. 186.

† Huxham on Pleuroperipneumony, p. 209.

pus ſolitum egerunt. Flamina ſubita et vehementia ventorum frigidorum et ſiccorum, ut boreae Scythici, quibuſdam in locis, ad morbum movendum plurimum conferunt, uti notarunt viri illuſtres Huxhamius et Cleghornius.

Affirmare dubitare vix poſſumus, *cauſam* ſignorum ſupra comprehenſorum *proximam* eſſe impetum humorum adauctum ſpaſmo finium arteriarum extremorum ſuſtentatum, congeſtionemque ſanguinis in organo reſpirationis factam, ibi inflammationem excitantia, et in hac morbum conſiſtere. Hanc opinionem ſatis firmant cadavera hoc morbo extinctorum inciſa. In eorum pulmonibus, horumve membranis, reperta fuerunt ulcera; in aliqua parte abſceſſus; ſanguis, vel pars ejuſdem coagulabilis, vel aquea in cellulas bronchiorum cavumve thoracis effuſa; cruſtae membranaceae pleurae, pericardio, tunicive ejus, adhaerentes. E ratione autem et obſervatione conjunctis novimus, haec et talia inflammationem ſubſequi ſolere.

Cauſae, quae hunc morbum progenerare conſuerunt, ad effectum hujuſcemodi edendum, quam optime accommodantur. E ſupra enumeratis didicimus, eas vel tales eſſe, quales actionem viſcerum thoracis validiſſimam directe excitant;

citant; vel tales, quales nimium humorum circumeuntium impetum ea verſus faciunt, dum, eodem tempore, et eandem ob cauſam quidem, vaſa eorum ſanguifera conſtringuntur. Hunc effectum poſtremum haud dubie edet aër frigidus corpori ſubito admotus. Cum morbus non accedit, donec homo, poſtquam frigori fuit objectus, caleſcit, non improbabile eſſe videtur, congeſtionem revera fuiſſe factam, ſed ob frigus ſatis virium in ſyſtemate, unde reniſus poſſet excitari, donec plus vigoris ab externo calore acceperat, non extitiſſe. Cum vero in omni impetus nimii ſyſtema pulmoneum verſus facti exemplo iidem effectus non oriantur, corpus tale ſit neceſſe eſt, quale mutationem morbidam recipere valet. Aër frigidus tantum nocere videtur, cum corpus nimis eſt calefactum, cum aliquantum plenitudinis ad molem ortum eſt, et ſolida viva, eodem tempore, praeter conſuetudinem irritabilia evaſerunt. Gradus toni et vigoris naturalis hominis, frigori ita objecti, actioni harum cauſarum favet, quoniam diatheſis phlogiſtica, in hoc corporis ſtatu, dominari conſuevit. Ita robuſti et pleni pneumoniae opportuniores ſunt, quam debiles et leucophlegmatici. Morbum in plagis calidioribus, praeſertim in his,

ubi

ubi hyemes frigidae ſunt, vel ubi certi venti frigidiores nonnunquam ſpirant, ut in Carolina Auſtrali, inſula Baleari minore, &c. frequenter mortales invadere ſupra poſui. Seminium ibi non in tono et vigore ſyſtematis, ſed forſitan in irritabilitate ſtatuque plenitudinis in eo progeneratis, conſiſtere videtur; namque ibi conſtitutiones hominum corporeae robuſtae eſſe dici nequeunt, ſi eas cum iiſdem in regionibus ad ſeptentrionem magis vergentibus comparaveris, ubi calor aeſtivus nunquam admodum intenſus eſt *.

Inci-

* In inſula Baleari minore, calor aeſtivus gradum thermometri Fahrenheiteani 80, et ad extremum 87, aliquando adaequat; hyemalis 48, nonnunquam 41. In Carolina, prout Chalmerus notavit, medius calor, per totum decennium, omni tempeſtate, minimus gradum 48, maximus 80, attigit; vernus medius minimus 59, maximus 85; aeſtivus minimus 78, maximus 101; autumnalis minimus 72, maximus 90; hyemalis minimus 52, maximus 81. Quod ad calorem frigusque hujuſce regionis attinet, ab erudito et accurato Doctore Walker, hiſtoriae naturalis in hac academia Profeſſore, hiſtoriam ſubſequentem accepi. Calor medius per annum totum, hor. 8. matutina notatus,

Th.

Inciſiones demonſtrarunt, omnem pulmonum partem, in hoc morbo, et membranarum eorum quoque, inflammatione fuiſſe affectam *. In nullo fere exemplo unquam apparuit, pleuram in aliqua ſaltem ejus parte, eadem vacaſſe. Quantum viſcera interna ſpectat, inquit Cullenus †, 'It ſeems probable, that every acute inflamma-'tion begins in membranous parts.' Inde ad partes eorum parenchymatoſas brevi diffundi poteſt. In inflammatione pulmonea, cum ea pleurae parte, quae ſeptum tranſverſum ſuccingit, communicari periclitatur; et in locis ejus diverſis abſceſſus ſaepe formati fuerunt. Hodie, uti credo, inter omnes medicos, quotquot ſunt, convenit, nullas certas eſſe notas, quae partem pulmonis ſingularem laborantem deſignant. In eo, quod

	Th. Fahr.
Propemodum adaequavit Gr. - -	46.
Calor ſummus - - -	84.
Per aeſtates plurimas non exceſſit -	80.
Per hyemem frigus deſcendit ad -	15. vel 10.
Summum frigus, quod unquam obſervatum eſt, ad - - - -	8. infra 0.

* Opuſ. Pathol. Halleri Obſ. 11. 14. Morgagn. de Cauſis et Sedibus Morb. epiſt. 20. 21.

† Firſt Lines of Pract. § 342.

quod fuit asseveratum, nihil fiduciae possumus collocare, delirium nempe risumque Sardonicum inflammationem ejus pleurae partis, quae diaphragma tegit, assidue comitari. Igitur ullis, quae adhuc noverimus, signis comperiri nequit, utrum paraphrenitis, uti vocatur, necne adsit.

EXPLICATIO SIGNORUM.

Quo hanc dissertatiunculam tam absolutam, quam angustiae temporis viresque ingenii patientur, reddam, aliquam signorum supra positorum explicationem aggrediar necesse est. Theoriam inflammationis silentio praeteribo, quae a Culleno nostro ingenioso et sagaci tam plene eleganterque fuit illustrata, et in tentaminibus inauguralibus hoc in loco editis toties fuse depicta.

Pyrexiae.—Haec omnes inflammationes loco proprias, non parvas, comitatur, cum res, quae inflammationi in parte singulari ortum praebeant, cum toto systemate arterioso communicentur. Pleraeque e causis excitantibus ad diathe-

sin

ſin phlogiſticam excitandam non parum conferunt, et operationi earum plane favent tonus et vigor, quae ante in ſyſtemate exiſtere potuerunt. Vidimus tamen, hunc morbum eos, in quibus non multum horum ſubeſt, invadere. In his gradus irritabilitatis certus diatheſin phlogiſticam alteri ſimilem facere poteſt. In conditione una et altera, pyrexia non modica eſſe poteſt; ſed in poſteriore, ſtatus debilitatis periculoſus per largas evacuationes aegrotanti citius inferetur. In parte hujuſce diſſertationis, parum forſitan idonea quaſdam obſervationes de formis febris hunc affectum comitantis variis in medium proferendas curavi. Eas hoc in loco repetere ſupervacaneum eſſe duco.

Doloris in aliqua parte thoracis, modo acuti, modo obtuſi.—Cum inflammatio pro parte ſuae proximae cauſae praecipua actionem vaſorum partis laborantis adauctam, congeſtioni humorum in iiſdem adjunctam, habeat, vaſa eorumque nervi hanc ob cauſam diſtenduntur et irritantur; quae eorum conditio ſenſum moleſtiae ſemper creat, quem dolorem appellamus. Cum pars membranoſa inflammatur, dolor ſemper acutior eſt, quam cum celluloſa magiſve laxa laborat. Et non parum quidem notabile eſt,

membranas morbidas doloris violenti esse sedem, quanquam sanae sensu propemodum destituuntur, ut experimenta Monroii jure celeberrimi, hoc detegendi causa, in pleuram instituta demonstrant. Hoc quidem a membrana ipsa insensili, quae vasa tegit, et ea a substantiis irritantibus defendit, proficisci videtur; cum vero congestio et actio adaucta vasorum ipsorum inciderunt, irritatio renisu, quem densum, quo involvuntur, tegimen dat, intenditur; sed magis forsitan inaequalitate extensionis, aliqua vasis parte plus ejus, quam alia, quae per densam membranam minus constringitur, recipiente. In partibus laxis et cellulosis, irritatio renisus minor est, et dolor quoque magis modicus. Aliqua ex parte varietatem doloris in hoc morbo per haec principia exponere possumus; sed minime concedi potest, inflammationem in omni exemplo, qualiscunque status doloris sit, uno aliove ex hisce locis circumscribi. Multis in casibus, incisiones monstrarunt, inflammationem, quanquam dolor fuerit obtusus, universam fuisse, et pleuram aeque, ac pulmones, affeciſſe. Supra comprehendimus, acutam viscerum inflammationem in partibus membranosis semper incipere, et igitur dolorem magis minusve acutum esse, quam obtu-

sum,

ſum, ſaepius dici. Cum contrarium incidit, aliqua ex parte ſtatui ſenſilitatis vel irritabilitatis partis ſingulari, vel forſitan inflammationi magis diffuſae, et loco certo non circumſcriptae, tribuendum eſt; namque lex univerſa eſſe videtur, ſenſum doloris, cauſa ejus diffuſa, quanquam fere aeque gravem, minus acutum pungentemve evadere.

Spiritus difficilis.—Hic a duabus cauſis oriri videtur; prius a magna ſanguinis quantitate in vaſis pulmonum bronchiorumque congeſta. Haec autem parietes cellularum bronchiorum per preſſuram ad ſe invicem propius adducit, et multas earum forſitan occludit. Propter hanc rationem minor aëris quantitas, conſiliis, quibus deſtinetur, utiliſſimis inſerviendi cauſa, in pulmones, ſingulis inſpirationibus, admitti poteſt. Quo huic defectui occurratur, reſpiratio frequentius reiteratur. Secundo, dilatatio et conſtrictio pulmonum, inter reſpirandum, cum preſſura aëris inſpirati, alternae vim ſtimulantem in vaſa exercent, et igitur irritationem eorumque actionem intendunt. Haec per repetitiones frequentes, in priore cauſa memoratas, plurimum adaugeatur oportet.

De-

Decubitus difficilis.—Cum inflammatio pulmonem dextrum ſiniſtrumve ſolum tenet, in latus affectum difficulter cubare poteſt aegrotus, quod inde ſpiritus magis afficitur, et dolor augetur. Hoc lateri pulmonum ſano inflammatum nimia preſſura afficienti haud dubie debetur. Nonnunquam tamen incidit, aegrotantem ſano lateri, ſine auctu horum duorum ſignorum, incumbere non poſſe. Hoc in omni caſu explicatu difficile eſt; in pleriſque vero ab adhaeſionibus, a morbis praecedentibus ortis, vel forſitan ab aqua * inter ſuperficiem pulmonis et pleuram coſtalem lateris laborantis intercedente, proficiſcitur. Hae adhaeſiones autem in ſtatu pulmonum ſuſpenſo, dum in ſanum latus cubatur, tendantur neceſſe eſt, unde dolor ſenſuſque moleſtiae non oriri non poſſunt. Rebus ita ſe habentibus, poſitura facillima eſt in latus ſanum dorſumve cubare. Inflammatio utrumque latus frequenter afficit, cum dorſo incumbere poſitura ſola tolerabilis evadit, quod in hoc ſitu neuter pulmonum magis quam alter comprimitur. Caeterum nonnunquam, cum morbus graviter urget, et congeſtio igitur magna eſt; vel cum morbus nonnihil provectus

* Morgagni, epiſt. xx. art. 13.

vectus est, et suppuratio vel effusio incidit, plus spatii ad motum pulmonum facilem necessarium est, et renisus viscerum abdominalium molestiam magis magisque adauget. Rebus ita se habentibus, aeger miserandus sedere cogitur, capite et cervice erectis.

Nullam, quae mihi arrideat, explicationem *statuum* pulsus *diversorum* tradere possum. Observationem auctorum et ratiocinium inter et species, quas cadavera incisa exhibuerunt, minime convenit. Cum morbus plerumque plus minusve diatheseos phlogisticae habeat, ubi tonus systematis arterioši non parvus est, ictus arteriarum in hisce exemplis pleni durique sunt. Sub initium vero morbi, et cum calor, dolor, et respiratio difficilis magna evaserunt, pulsus vasorum saepe nec pleni nec duri sunt; sed, contra, exiles, et aliquando parum distincti. Hoc ab arteriis nimia humorum mole repletis, et a tono earundem et contractilitate adauctis, proficiscitur. Sed, sanguine copiose detracto, facilius dilatantur et contrahuntur, et pulsus igitur pleniores et valentiores evadunt. Notissimum vero est, saepissime molles esse, nulla re omnino vel in sede inflammationis vel in statu systematis notata, quae tale discrimen facere posse videatur.

Modo

Modo duri, modo molles fuerunt, cum inflammatio utrumque pulmonem eorumque membranas affecit. In hiſce duabus eorum conditionibus non multum igitur fiduciae collocandum eſt; namque, utrum morbus ſubſtantiam pulmoneam, vel membranas iiſdem circumdatas, occupaverit, minime clare teſtantur *.

Cum ictus arteriarum tardi debileſque evadunt, hoc, in ultimis morbi ſtadiis, circuitui ſanguinis per pulmones difficili tribuendum eſt, quod minus ſanguinis ad ventriculum cordis ſiniſtrum, quod in ſyſtema aortae diffundatur, devehitur.

Rubor faciei et oculorum, reditui ſanguinis venoſi, qui per venam cavam ſuperiorem reducitur, non parum impedito eſt referendus, quod ventriculus cordis dexter ſanguinem ſuum quantitate idonea per pulmones diffundere nequit. *Delirium* autem ab eadem cauſa proficiſci poteſt, quae ad congeſtionem ſanguinis in cerebro faciendam plane accommodatur; vel, diatheſi phlogiſtica ſubſtante, proclivitas ad inflammationem in multis corporis partibus, eodem tempore, exiſtere poteſt; et in cerebro praeſertim, ob vaſorum

* Vide Morgagnii Opera.

rum ſanguiferorum molem reditu ſanguinis ab eo tardo difficilique magnopere adauctam.

An *livorem* labiorum, oris, et vultus, qui in ſtadio pneumoniae longe provecto et periculoſo ſeſe oſtendit, ſanguini eam aëris atmoſphaerici, dum per pulmones tranſit, portionem, quam experimenta Doctoris Goodwyn ingenioſa ad colorem floridum arterioſo ſanguini impertiendum neceſſariam eſſe monſtrarunt, non amplius accipere valenti, tribuere debemus? Namque per hujuſce morbi decurſum cellulae bronchiorum aëriferae vel ſpatio imminui, vel magna ex parte forſitan occludi poſſunt vaſorum ſanguiferorum iis circumdatorum preſſura. Denique, humoribus effuſis quoque repleri periclitantur. Quaelibet autem ex hiſce cauſis, quo minus aër externus vaſis ſuperficiei harum cellularum ſuperimpoſitis rite applicetur, obſtare valebit.

Quantum ad *tuſſim* attinet, ea ab irritatione membranae bronchiorum mucoſae per inflammationem generalem facta originem ſibi deducit. Inſtinctu quoque naturae, ut conamen pulmones mole humorum nimia per congeſtionem formata liberandi cauſa, excitari poteſt. Morbo ineunte, ob fines vaſorum exhalantium ſpaſmodice conſtrictos, nonnunquam ſicca eſt. Saepius ve-

ro,

ro, per totum morbi decurſum, magis minuſve humida eſſe reperitur, quod actioni adauctae, ut humores in cavum bronchiorum et tracheae copioſius ſecernantur exhalentque, facienti haud dubie eſt referendum. Vis ſyſtematis ſanguiferi propellens ſaepe tanta eſt, ut guttas ſanguineas ex oſtiis vaſorum exhalantium exprimat, quae materiam expectoratam tingunt. Sputum ſubito ſuppreſſum, poſtquam morbus aliquamdiu manſit, vel vires naturae nimia debilitate oppreſſas eſſe, vel aliquid jam effuſum, quod ejicere nequeant, ſignificat.

Fines, quos pneumonia habet, diverſi.

Hi autem valetudo commoda, morbus alius vel mors eſſe poſſunt. Primum in reſolutionem deſinere poteſt pneumonia, id eſt, inflammatio ſubſidere poteſt, partes laborantes integras relinquens. Secundo, ſuppuratione finiri poteſt, in qua ſolutio continuitatis, cum puris formatione, incidit. Haec autem parte ſingulari circumſcribi poteſt, abſceſſum, vel, uti vocatur, vomicam conſtituens, quae contenta ſua in cellulas bronchiorum effundit, vel ſuffocationem, vel, quod crebrius

crebrius eſt, ſputum purulentum faciens. Quinetiam abſceſſus humores, quos continet, in utrumlibet pulmonum cavum effundere, et morbum, qui empyema vocatur, formare ſolet. Tertio, gangraena terminari poteſt, quae inflammationis concitatae ſequela eſt, vel incidit, cum fermentum putridum in corpore dominatur. Quarto, effuſionibus, quae vel e ſanguine mero, vel e partibus ejus cogi valentibus, vel omnino aqueis, conſtare poſſunt. In omni fere exemplo, ubi cito raptus fuit aegrotus, et ubi cadaver poſtea fuit inciſum, effuſio ſanguinea fuit notata. Unde concludere licet, hanc eſſe exitum inflammationis hujuſce organi violentae frequentiſſimum, et e textura ſua quidem pulmones eventui hujuſcemodi admodum opportuni eſſe videntur. Pulmones ſunt maſſa laxa et ſpongioſa, e cellulis vaſiſque ſanguiferis conflata, in quam ſanguinis quantitas, univerſum reliqui corporis adaequans, diffunditur. Minime igitur mirandum eſt, ſi, congeſtione et actione adaucta incidentibus, oſtia vaſorum exhalantium ſpaſmodice conſtrictorum male ſuſtentata ſuperentur, et effuſio accidat. Huic adjuncta, et ſaepe ſeparata, ut inciſiones cadaverum demonſtrant, alia offenditur effuſio, cruſtas membranaceas in ſu-

perficie pleurae, pericardii, cordisve ipsius, interna formans. In locum harum non raro substituuntur frusta ejusdem naturae, quae fluido aqueo subalbido in cavis diversis innatant. Haec eadem effusio adhaesionibus fundamentum jacere videtur, quae inter duas pleurae laminas saepe formantur, et ut vasa opposita conjungantur faciunt. Adhaesiones hoc genus in multis quibus non parum aetatis accesserit, quamvis alio morbo fuerint mortui, reperiuntur. Hinc igitur cogere possumus, omne inflammationis pulmonum exemplum, utcunque leve sit, hanc effusionem facere posse. Effusiones partis sanguinis magis aqueae nonnunquam quoque incidunt, et hydrothorax pneumoniam haud dubie fuit subsecutus.

PROGNOSIS.

In hoc morbo pro fausto felicique habendum est, si mature ad remedia idonea fuerit decursum, si morbus nulli alii maligno adjungatur, si constitutio corporea ante sana et valida fuerit. Si

haec

haec non incidant, morbus multum periculi habet, et plerumque laethalis eſt. Reſolutio ejus variis evacuationibus nonnunquam ſtipatur, quae criticae appellantur. Hujuſmodi ſunt, diarrhoea, epiſtaxis, ſaepe e naribus ejuſdem lateris, quod laborat, haemorrhois, menſtrua, urina copioſe profuſa multumque ſedimenti deponens, abſceſſus externi *, eryſipelas extremorum †. Cum haec ſigna ſemet oſtendunt, et aliis notis partis affectae fauſtis ſtipantur, ſalutem promittunt, quoniam ſignificant, ſpaſmum, qui morbum ſuſtineat, eſſe ſolutum, vel inflammationem alio tranſlatam, quae thoracis propriam vel levare, vel omnino tollere, poteſt. Sed ſignum ſalutis frequentiſſimum et certiſſimum eſt ſputum copioſum et liberum, nonnihil ſanguine tinctum, et ſine multa tuſſi excreatum. Hoc ſaepe comitatur ſudor univerſus, calidus, fluidus, copioſus, cui adjunguntur, pulſus minus frequens, calor corporis, et alia ſigna febrilia imminuta ‡. Hic finis morbi fauſtus ſaepiſſime incidit a tertio ad diem morbi ſeptimum. Malum portendit, ſi ſigna

* Van Swieten Comment. § 837. 888.

† Cleghorn's Diſ. of Minor. c. 6. p. 273.

‡ Vide Culleni Praxin Medicam.

na pathognomonica gravia ſunt, ut ſpiritus adeo difficilis tantumque ingraveſcens, ut aeger prius in unum latus ſolum, deinde in neutrum, poſſit cubare, et tandem, capite et cervicibus erectis, cogatur ſedere, quod auctum inflammationis plane deſignat. Tuſſis frequens, violenta, ſicca; ſputum parcum et difficulter expectoratum, aegrotantem ad ſanitatem aegre reductum iri praefagiunt. Hoc ſanguini ſpumoſo purove et fluido, vel nigro partimve coacto, aut colorem hepatis referenti, admiſtum, eventum morbi incertum eſſe, vel etiam malum fore, ſignificat. Quoniam, rebus ita ſe habentibus, cauſa eſt, cur haemorrhagiam, propter inflammationis gravitatem, incidiſſe ſuſpicemur. Color ſputi flavidus, ad quem animum tantopere attenderunt medici, ſignum admodum anceps eſſe videtur. Semet in pneumonia maligna fere ſemper oſtendit; ſi vero morbus nullo alio ſigno inſigniter minaci ſtipetur, non multum timendus eſt. Sive dolor acutus, ſive obtuſus ſit, ſi ſeſe ab uno latere ad alterum diffundat, et ſpiritu perquam difficili ſtipetur, inflammatio pro magna, increſcente, et igitur periculoſa, habenda eſt. Si morbus ſuppuratione finiri periclitatur, notae inflammationis ultra diem ſeptimum, quanquam non violentiſſimae,

tiſſimae, ad decimum quartum uſque, plerumque manent. Caeterum intra ſpatium prius memoratum acceſſiſſe fertur *. Si hic eventus futurus ſit, nulla reſolutionis ſigna apparent, nonnihil delirii ſubeſt, et ſputum, quod ante ſemet oſtenderat, plerumque ceſſat. Horrores leves deinde percipiuntur, et pulſus arteriarum minus frequentes, molliores, ſubſilientes, et pleniores evadunt. Signa inflammationis nunc remittunt. Spiritus opprimitur, tuſſis urget, pondus alicubi in thorace ſentitur, et aeger in latus affectum facillime cubat. Sputum purulentum fit, et alius ſignorum ordo nunc oritur. Febris hectica frequenter accedit, et mors tandem miſerias aegroti ad finem perducit. Cum materia in cavum thoracis effuſa eſt, ſigna ſupra poſita ſubſunt, ſputum deficit, et notae † empyematis quoque oriuntur.

Cum pyrexia omnino ſymptomatica, quanquam violenta, eſt, non multum periculi habet. Si facies magnopere tumet et rubeſcit, ſi ſudores topici circa caput et cervices prorumpunt, ſi pulſus arteriarum abnormes et delirium invadunt, aeger

* Morgagn. epiſt. xx. art. 9.

† Vide Culleni Synop. Noſol.

aeger in ſummo periculo verſatur. Remiſſio doloris aliorumque ſignorum, ſub tertium quartumve diem, frequenter fallax eſt; namque diebus ſubſequentibus ſigna, cum gravitate adaucta, ut Cleghornius celebris teſtatur, ſaepe redeunt.

RATIO MEDENDI.

Praecipuum huic morbo medendi conſilium eſt, congeſtionem in pulmonibus factam, et inflammationem inde natam, tollere. Hoc varia mox memoranda praeſtant. Gravitas morbi in regionibus ad ſeptentrionem vergentibus ſaepiſſime tanta eſt, ut uſum omnium remediorum, ad hunc morbum depellendum accommodatorum, plenum et liberalem exigat. Ætate vero provectos debileſque ſaepe invadit, vel febre maligna ſtipari poteſt, ſcorbuto laborantibus interdum non parcens, ubi detractio ſanguinis liberalis aliaeque evacuationes magnopere nocerent. Haec omnia, regio, conditio pulſuum, effectus primi

primi uſus regiminis antiphlogiſtici attente diligenterque conſideranda ſunt, ut inde, quamnam in viam medendi debeat procedi, pro certo diſcamus. Corollarium Huxhamii ſagacis, ſub finem tractatus de pleuritide propoſitum, nobis ob oculos ſemper obverſari debet. ‘ In hoc morbo ‘ tractando, non ſolum conſiderare epidemici ‘ naturam propriam, ſed etiam tempus anni, et ‘ aegrotorum conſtitutionem, debemus.’ Ab hiſce omnibus rite conſideratis, recta et idonea curatio magnopere pendebit. Quantum praxin noſtram febris natura regere debeat, exemplum luculentiſſimum praebet pneumonia, quae Edinburgi anno 1732 ſemet oſtendit, in qua detractiones ſanguinis reiteratae peſſimos effectus ediderunt; dum in inſula Balearica minore, contra, regione, quae detractionem ſanguinis remedium minus tutum reddere videretur, Cleghornius uſum ejus admodum liberalem omnino neceſſarium eſſe compertus eſt.

Ratione horum, quae modo poſuerimus, rite habita, curationi pneumoniae primum convenit *regimen antiphlogiſticum*. Hoc, rite adminiſtratum, in omnibus morbi generibus hucuſque ſemper neceſſarium eſſe repertum eſt. In hiſce

irrita-

irritamentis, quae maxime conſtanter corpori applicantur vitandis vel moderandis conſiſtit. Praecipuis horum jure annumeratur calor, externe vel interne admotus. Nihil autem corpus humanum magis ſtimulat, et igitur actionem adauctam jam ſubſtantem non parum intendit. Ex opinionibus tamen ab auctoribus practicis traditis conſtare videtur, diminutionem ejus magnam periculo non vacare. Notiſſimum eſt, corpus humanum poteſtate naturalem ſuam temperiem graduum 98. thermometri Fahrenheiteani retinendi eſſe praeditum, dummodo corporum ei applicatorum propria non infra ſexageſimum ſecundum deſcendat. Omnis infra hunc gradus eam imminuit, et igitur ad impetum humorum ſuperficiem verſus praecavendum, et, hanc ob cauſam, ad ſanguinem in vaſis magnis internis, et pulmoneis in reliquis, accumulandum et detinendum plurimum confert. Quo huic effectui occurratur, aeger in media temperie teneatur, in lectulo ſedeat erectus, vel ex eo, ſi hoc tolerare poteſt, tollatur, et aër cubiculi, ut calor non circa corpus accumuletur, ad eum liberaliter adſpiret. Omnis exercitatio et corporis et animi, et omne cibi nutrientis genus caute vitetur.

vitetur. Sitis potionibus lenibus, diluentibus, modice tepidis, reſtinguatur. Hae quidem acidis vegetabilibus imbui poſſunt.

Evacuationes morbum depellendi cauſa ſunt adhibendae, quarum optima eſt ſanguinis detractio. Ab hac praecipua curationis pars pendere videtur, ſi ſupra comprehenſa, ſub initium hujuſce partis diſſertationis, neglectui non habeantur. Ad hanc quam maxime mature decurratur, et tantum ſanguinis una vice emittatur, quantum gravitas morbi exigit, et vires aegrotantis patiuntur. Dolor difficultaſque ſpirandi, una detractione adhibita, remittere poſſunt, pulſus arteriarum, qui forſitan ante exiles fuerunt, pleniores ea reddentur, et languor anxietaſque tollentur *. Eadem quantitas, vel major etiam, ſi nihil noxae a prima fuerit ortum, brevi elicienda, et quo plus ſanguinis, ſub initium, emiſerimus, eo minor ad idem remedium poſtea decurrendi neceſſitas erit. Cum inflammatio diu manſit, vires aegrotantis ſanguinis jacturam ferre minus valent. E conditione ſignorum, potiſſimum arteriarum ictuum, ſpiritus et doloris, judicare debemus, utrum ſanguinis de-

* Huxham, p. 183.

tractio saepius necne debeat adhiberi. Qui animo facile linquuntur, ii saepe sanguinis detractionem alteram melius tolerare valent. Post sanguinem hoc modo emissum, signa plerumque remittunt, et aliquantum sputi accedit; cum vero repetunt, quod plerumque evenit, ad missionem sanguinis copiosam, sine ulla dubitatione, rursus confugiatur. Hoc * quolibet morbi tempore faciendum est, praesertim intra primas duas septimanas, et etiam serius, si proclivitas ad suppurationem non manifesta sit, vel si morbus, postquam sublatus esse videbatur, rursus rediverit.

Exacerbationes, quae vespere mediave nocte in omnibus fere febribus incidunt, in hac quoque apparent, et dolor et reliqua signa, quae ante nonnihil levata fuerunt, rursus ingravescunt, et hoc potissimum in iis regionibus evenit, ubi omnes febres ad remissiones et exacerbationes manifestas proclivitatem ostendunt. Cum hae expectantur, remedium supra positum, antequam accedunt, adhibitum gravitati earum occurret, et optimos effectus edet. Quidam, meus amicus, cujus hujusce morbi experientia in plagis calidioribus

* Vide Cullen's Practice.

lidioribus magna fuit, et cujus attentioni et judicio omnino confidere poſſumus, detractionem ſanguinis copioſam, ante hoc tempus, reditum morbi magna ex parte praecavere ſolere ſemper comperit.

Quae ſanguinis quantitas ad ſigna levanda, primis diebus, neceſſaria eſt, ea nonnunquam immenſa eſt. Cleghornius, etiam in regione inſulae Balearicae minoris, tres quatuorve libras, primis viginti quatuor horis, detrahere coactus eſt. Jactura ſanguinis a quatuor ad quinque libras uſque, intra primos tres quatuorve dies, ab aegroto modice valente tolerari poteſt. Longiore vero ſpatio adhibito, multo major quantitas elici poteſt.

Interdum plures, quam una, ſanguinis detractiones in hoc morbo multum nocebunt, id eſt, cum febris comitans typhus eſt, qualis illa fuit, quae in volumine quinto, articuloque ſecundo, Medicorum Tentaminum Edinenſium depingitur. In ea pulſus arteriarum ſubito conciderunt, et ſanguis emiſſus colorem ſubfuſcum, flavidum, vel ſubviridem habuit, et aegre coactus eſt. Detractio ſanguinis in ea pneumoniae ſpecie, quae peripneumonia notha appellatur, admodum caute adhibenda eſt. Verum ejus diſcrimen ab evi-

dentiore

dentiore pneumonia a genere curationis contrario, quod requirit, fuit deductum; ſed morbi gradu tantum diſcrepant. Namque, ſub initium morbi, dum congeſtio minime parva eſt, ſpiritum admodum difficilem faciens, cui febris et nonnihil vigoris ſyſtematis generalis adjunguntur *, una ſanguinis detractio neceſſaria eſt, ſed eandem repetere haud dubie noceret.

Cucurbitulae cruentae et ſcarificationes ſigna, quae ab aliquo vitio rheumatico affectuve pleurae inde oriente proficiſcuntur, levandi cauſa adhiberi, vel in locum detractionis ſanguinis univerſae, cum jam copioſe fuit adhibita, ſuffici poſſunt.

Quanquam ſputum in morbo mature oriatur, quod ſaepe evenit, niſi aliis reſolutionis ſignis fuerit ſtipatum, detractione ſanguinis minime abſtineatur. Rebus ita ſe habentibus, pro ſigno tantum impetus inſoliti ad pulmones facti, et actionis adauctae, habendum eſt, et niſi majore quantitate, quam poteſt ſperari, aut debet fieri, excernitur, non congeſtionem, morbo recente, tollit. 'It 'is,' inquit Cullenus celeberrimus in *praxi* ſua excellentiſſima, 'in the more advanced ſtage 'only,

* Vide Sydenhamii Opera.

'only, when the proper remedies have been be-
'fore employed, and when the ſymptoms have
'ſuffered a conſiderable remiſſion, that the en-
'tire cure may be truſted to a copious and free
'expectoration. I have ſeen bleeding often
'promote it; and it is in a more advanced ſtage
'of the diſeaſe only, that the patient, by large
'evacuations, and the continuance of the diſ-
'eaſe, has been already exhauſted, that bleed-
'ing ſeems to ſtop expectoration. It appears
'to me, that even then, bleeding does not ſtop
'the expectoration ſo much by weakening the
'powers of expectoration, as by favouring the
'ſerous effuſion into the bronchia, and thereby
'preventing it.'

Evacuatio proxima, ad quam confugi poteſt, eſt alvi purgatio. Incommoda quidem eſt, et aliquando noxae fuit. In pneumonia plurimum inflammationis habente, ad ſatis humorum e maſſa circumeunte tam cito, quam gravitas ſignorum poſtulat, evacuandum minime ſufficit. Evacuationem quoque per irritationem, quae ſemper cavenda eſt, facit. Inſuper, motum corporis et niſum, quae noxae eſſe poſſunt, requirit. A Sydenhamio in curatione peripneumoniae nothae laudatur; eam vero, ut e praeſcripto

ſcripto judicare licet, modice tantum adhibuit. Ea, quae canali alimentario continentur, ſub initium morbi, quibuſdam lenioribus et refrigerantibus laxantibus evacuare, et alvum poſtea, per ejuſdem decurſum, enematis ſolutam tenere neceſſarium eſſe videtur, ſed nihil amplius requiritur.

Inſuper ad *epiſpaſtica* hoc in morbo decurritur. Generalem autem eorum uſum hodiernum exemplo praeceptoque viri clari, qui nuper floruit, Joannis Pringelii Equitis Aurati debemus. Et, ut in hanc medendi viam procedatur, hortatur experientia reiterata et indubia. Tutiſſime et certiſſime quidem ſpaſmum, qui inflammationem ſuſtentat et tuetur, tollunt. De ratione, qua agant, diu apud medicos fuit certatum, et alii aliis commoda eorum tribuerunt. Explicatio vero illuſtriſſimi Culleni ſola, rebus veris et analogiae innitens, ad nodum ſolvendum accommodatur. Poſt primam ſecundamve ſanguinis detractionem, haud dubie adhiberi debent. Quo effectus ſanguinis jam emiſſi rite notentur, uſu eorum in breve tempus abſtinere conveniet. Sin ſigna tunc non multum leventur, et ita manere videantur, protinus ad ea confugiendum eſt. Hunc optimum effectum inflammationem

tollendi

tollendi poteſtate edunt, quod cavent, ne tantum ſanguinis, quantum alioquin requireretur, detrahere cogamur. Si unum, aut etiam duo fuerunt applicata, et ſigna etiamnum urgent, aut repetunt, plura admoveri, ſed ſemper quam proxime partem laborantem, debent. Quantum ea ſanguiniſque miſſionem ſpectat, eadem regula adhibenda eſt. Si exacerbatio doloris et pyrexiae quolibet certo tempore expectetur, epiſpaſticum ita applicetur, ut, exacerbatione accedente, agere incipiat. Si hoc fiet, eam fere ſemper levabit, et ſaepe ex toto praecavebit.

Quinetiam medicamenta *ſedantia* in uſu ſunt. Quanquam vim hujuſcemodi potentiſſimam frigus habet; curationi tamen hujus morbi, ob rationes ſupra comprehenſas, poteſtatemque ejus tonicam, male convenire videtur. Sales medii, et potiſſimum nitrum, per decurſum hujuſce morbi, plerumque fuit adhibitum. Hi quidem prodeſſe poſſunt; ſed largis quantitatibus, quibus ſolis forſitan, ut *ſedantia*, proficere valent, ſumpti, ob nauſeam quam excitant, multum moleſtiae aegrotis, jam ſatis male ſeſe habentibus, faceſſunt.

An opium remediis hoc genus annumerare permittetur? Ambiguitas, quae operationem ejus ſemper fuit comitata, effectus ejus veros, a-

pud

pud medicos hucuſque dubitabiles effecit. Alii id ſemper potenter directoque ſedare, alii id aſſidue ſtimulare crediderunt. Rebus ita ſe habentibus, tantas componere lites non opis eſt noſtrae. A quibuſdam in pneumonica inflammatione, ſucceſſu cum proſpero, adhibitum eſſe dicitur, et praejudicium forſitan adverſus uſum ejus in hoc morbo, quod medicos univerſos fere occupavit, non ſemper fundamento ſtabili innititur. Tutius vero eſt, donec experientia plus luminis huic rei offuderit, uſu ejus primum per morbi ſtadium abſtinere. Cum vero quantitas ſanguinis evacuationibus rite fuit diminuta, et diatheſis phlogiſtica fere evanuit, plurimum tuſſim ſedando, et ſomnum inducendo, prodeſſe conſuevit.

Praeterea, moris multorum medicorum eſt, curſum humorum ad ſuperficiem corporis *emeticis* revocare conari. Quanquam effectus potentes hoc modo edunt; remedium tamen anceps, ſi non periculoſum, in genere hujus morbi acutiore, etiamnum eſſe videntur. Irritatio conamine vomendi facta plus obeſſe, quam quilibet ex effectibus eorundem bonis prodeſſe, poteſt. Doſibus tamen nauſeam ſolam moventibus data

conſilio

consilio nostro, nulla usum eorum noxa subsequente, inservire valebunt.

Si nobis in animum induceremus sudorifica ullo alio consilio, quam sudorem sponte suborientem promovendi, adhibere, summam aegroto injuriam inferremus. *Diluentia* liberaliter adhiberi possunt, cum hoc nobis in animo praestare est. Leniſſima sint, et, prout gustus aegroti postulaverit, varientur. Sales medii eodem tempore dari debent, non potioni vero admisti, quoniam adeo ingrati sunt, ut quantitatem ejus idoneam sumi impediant.

Donec *sputum* appareat, morbus summa violentia grassatur, et si cessat, postquam semet ostendit, inflammationem rediisse, aut auctam esse significat. Si subito supprimitur, cum morbus aliquantum spatii habuit, et magnae debilitatis notae eodem tempore subsunt, eventus funestus et laethalis sperari potest. Ratio ejus igitur semper habenda est; id vero, ut volumus, provehere minime in nostra manu est. Omnia quidem remedia supra posita, quae constrictione vasa extrema liberant, pro expectorantibus haberi possunt, et idcirco aliqua ex parte consilio sputum promovendi forsitan inservient. Emetica, dosibus exiguis data, et ad nauseam excitandam accommodata,

modata effectus in pulmones protinus edunt, et igitur idonee praescribi possunt. Hoc consilio multa remedia interna fuerunt adhibita; et, antequam natura morbi et actio medicamentorum clarius fuerunt intellectae, multa medicamenta parum idonea, sub capite expectorantium collocata, praescripta sunt. In his fuerunt gummi calefacientia, quae, licet nonnunqnam adhibeantur, et forsitan sputum potenter moveant, in hoc morbo omnino expellenda sunt. Scillae non malum remedium esse videntur, sed non multa potestate sunt praeditae. In statu morbi provectiore, cum pulmones glandulaeque mucosae in conditione debilitatis relictae sunt, quaedam ex hisce stimulantibus expectorantibus, qualia sunt gummi et alkali volatile, magnopere conveniunt. Conditionem sputi per hoc stadium usus opii mutare potest. Namque, hoc morbi tempore, tussis continua titillans, per irritabilitatem membranae tracheae mucosae excitata, ut humores secreti ibi assidue excernantur, facit; opium vero, irritationem sedando, materiam in trachea et bronchiis diutius manere, et crassiorem mitioremque, antequam expuitur, evadere patitur.

Medicamenta mucilaginosa et oleosa, ut *demulcentia*, votis nostris bene respondebunt, effectibus

fectibus humorum ſecretorum, unde fauces irritantur, occurrentia. Membranae ipſi, dum tranſeunt, partim adhaerent, et eam ab aëris effectibus aliiſque irritamentis, quibus in ſtatu ſiccitatis inflammatoriae objiceretur, efficaciter defendunt. Subſtantiae mucilaginoſae, ab initio morbi uſque, ſucceſſu cum proſpero dari poſſunt. Oleoſis ſemper praeſtant, quoniam haec pleroſque ventriculos turbant.

Sputum ſaepe multum promoverunt vapores aquae calidae in pulmones inſpirati. Boni eorum effectus per acetum cum aqua commixtum interdum fuerunt adjuti. Ut ad hoc decurreretur, ſuaſit vir illuſtris Pringelius Eques Auratus. Inſtrumentum ad vapores in pulmones devehendos optime accommodatum nuper fuit inventum. Effectus vero boni aquae acetique commiſtorum non ſemper ſunt certi. Nonnunquam, experientia teſte, pulmones nimis ſtimularunt. Hoc remedium igitur caute adhibendum. Prius vapores aquae ſimplicis tentari debent; deinde poſtea, cum aliquantum poteſtatis ſtimulantis neceſſarium eſſe videtur, et pulmones eam tolerare poſſunt, acetum adjiciendum eſt, et efficaciſſime aget.

FINIS.